



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,
Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

Præfatio Ad Lectorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38550



PRÆFATIO

A D

LECTOREM.



Andide Lector, quisquis es, qui oculos huc conjecceris, tantillum urbanitatis ne deneges, donec pauca tecum in vestibulo hujus operis Trithemiani præloquar, quæ momenta editionem ejus persuaserint. Præfert titulus, id passim ab Eruditis desideratum esse; ita est, evolve si lubet, Clarissimi Viri Marquardi Freheri Consiliarij Palatini notas Chronico Hirsaugiensi primæ editionis ad calcem annexas; ubi imprimis inter alia: *Incertum, inquit, an Auctor opus longius produxerit, & fortè ad ætatem usque suam, ut Spanheimense. Dubitationem Frehero moverat ipse Trithemius Ep. ad Rogerium Sicambrum Herbipoli data anno 1507. dum scribit: Ad preces Blasii Abbatis Hirsaugiensis Chronicon eiusdem Cænobij scribere adorsus maiorem partem complevi: sed illo mortuo editionem intermisi, incertus, quâ mercede Successor eius laborem recompensare futurus sit. Ex quibus liquido patet, calamum Trithemij, subito ob alienæ metum ingratitude scribere desijisse. Econtra spem continuati operis rursus aut animavit, aut verius erexit Præfatio Trithemij Chronico Spanheimensi præmissa, in qua asserit: Chronicon Hirsaugiensis Cænobij hic quidem incæpi, sed apud Herbipolim urbem Francorum tandem complevi: opus magnum, & in duobus voluminibus partitum. Meritò igitur Marquardus Freherus inter spem metumque fluctuantis instar effatur: Sanè aut subito ab indignante abruptam hoc loco scriptionem apparet: aut alterum insuper paris magnitudinis voluminum Annalium desiderari dolendum est. Et ex eo Gerardus Joannes Vossius: Utinam inquit, totum opus aliquando videat lucem. Ad amussim hæc omnia respondent dictis Trithemij, quæ sparsim inter opera ejus reperiuntur, si exactâ annorum serie observatâ conferantur cum præliminaribus Epistolis duorum voluminum secundæ compositionis, ut proinde Benevolo lectori omnem formidatæ forsitan suppositionis scrupulum tollamus, placuit ordine historiam utrûs-*

PRAEFATIO AD LECTOREM.

que & veteris & nostrae, id est, primae & secundae compositionis enarrare, nequis primam & secundam editionem pro una eademque accipiendam falso existimet. Igitur ut ab ovo rem ordiar, scribit Trithemius ad Joannem Abbatem Hirsaugiensem anno 1511. *Iam sedecim, inquit, sunt anni elapsi, quod Historiam Hirsaugiensem inchoavi.* Id de prima Editione imperfecti operis intelligendum esse patet, quam Blasio Abbate Hirsaugienfi urgente, Trithemius adhuc Spanheimensis Abbas circa annum 1495. inchoasse videtur. Post Blasij Abbatis decessum, qui ad annum 1503. refertur, Trithemius continuationem operis abrupit, ut ipse testis est in Epistola ad Rogerium Sicambrium superius citata. Hanc vero Editionem non ultra annum Christi MCCCLXX. deduxit, quam sic imperfectam Marquardus Freherus Consiliarius Palatinus in Bibliotheca Palatina repositam publico Eruditorum bono typis Wecheliani vulgavit Francofurti anno Christi MDCL. Hoc enim verò est Chronicon illud Hirsaugiense, cujus autoritas haecenus tam frequens Scriptoribus fuit, & in amoribus Huberto Thomae Leodiensi in vita Friderici victoriosi Palatini, Frehero in libro de originibus Palatinis, Gesnero in Bibliotheca, Spondano in Annalibus Ecclesiasticis, Nicolao Serario in rebus Moguntiacis, Vossio de Historicis latinis, & alijs sine numero; quibus illa semper in manu, at haec novissima editio in solo desiderio fuit. Opere sic abrupto, Joannes Abbas anno supra memorato 1503. ad Hirsaugia infulam promotus, importunis iterum precibus Trithemium rogare & hortari non destitit, donec is urbanitate victus, ac spe remunerationis accepta securus iterum se operi accingeret. Is tunc temporis Spanheimensi Abbatia valere iussu S. Jacobi Herbipolensi Cœnobio praelatus est, ibidemque anno circiter 1509. primam editionem mancam ad incudem revocavit, ut ipse refert in Epistola ad Joannem Piemontanum Priorem Lacensem: *Ut litteris respondeam tuis, te scire volo, quod isto anno toto sum occupatus in editione Chronicorum, sive historiarum Monasterij Hirsaugienfis. Opus est magnum, & per annos ferme septingentos à fundatione prima usque ad haec tempora continuandum. Etenim primam Editionem mancam olim dimissam, iterum à principio nuper inchoavi, eritq; necesse continuare in finem.* Telam ergo historiae suae rursus à primæva fundatione retexens, & quosdam lapsus prioris editionis corrigens totum opus in duo volumina seu partes divisit, itaque adauxit, ut ipso Vossio teste, quadruplum conficiant primæ editionis. Primum quidem volumen usque ad Volpoldum Abbatem XXV. inclusivè continuando deduxit, absolutumque scribit Anno 1511. ad Joannem

Abbatem

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Abbatem Hirsaugiensem, ut legenti in limine hujus operis liquet. Anno tandem Domini 1514. utriusque volumini, quibus se per menses quinquaginta quatuor pertinaci conatu insudasse fatetur, supremam manum, & finem imposuit, usque ad Abbatem tunc in vivis degentem id continuando. At mors Trithemij biennio post subsecuta, sed immatura, in causa fuit, ut & hoc volumen, & alij præclari libri ab ipso scripti non ederentur. *Eo enim defuncto*, ait Gesnerus ex Pirckheimero, *adeo repente cuncta, quæ reliquerat, disparuere, ut ne vestigia quidem superesse viderentur.* Latuit ergo secunda hæc compositio in latebris condita, & sola per integrum sæculum Hirsaugia tanto cimelio superbiebat, ut ipse Trithemius vel alius Hirsaugiæ incola in calce primi voluminis addidit: *Me sola Hirsaugia gaudet.* Sed thesaurus invisus, & Sapientia abscondita, quæ utilitas in utroque? Anno tandem 1606 quantum quidem mihi constat, & ex Freheri originibus Palatinis conjicere datur, Marquardo Frehero videre hæc duo volumina, vix tangere, frui omnino non licuit. Frementibus deinde Protestantium & postea Suecorum armis, verus & unus hic Unio pulsos Hirsaugiæ Monachos & Abbatem Wunibaldum comitatus est ad Vineas (Weingartense Monasterium) tanquam ad sinum & concham, sed cum grassante indies jamjam in Sueviæ viscera bello inter manubias Martis rapi formidaret, securitatis ergo in Helvetiam ad nostrum D. Galli Asceterium ex tot procellis elapsus appulit, ex quo dein sagaci industriâ Apographum nostrum Exemplar descripsimus, eundemque jam alteri ruinæ, quam dicemus, imminentem ab interitu vindicavimus. Eo adhuc madido & vix completo, avocatur rursus, & alio portu quæsito naufragium reperit, ut enim tutius lateret, Blumeneggæ Castro in Walgoia sito una cum ultimo Hirsaugiensi Abbate Wunibaldo immigrat. Invida & infida fors! Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim: declinato feliciter Marte, Vulcano spoliolum infeliciter cessit Trithemij Chronicon, post tot pericula & fortis insidias quiete incassum quæsita; repentino etenim exorto incendio cum universis alijs Hirsaugiensium Documentis priusquam in lucem prodijt, in flammam & cineres abiit, Wunibaldo vix illæso, & paulo post animam doloris acerbitate victam efflante. Audio quidem, jam antequam castrum flammis absumeretur, jussu & impensis Serenissimi Ducis Bavariæ, & Electoris Maximiliani pleraque ex Documentis descripta, Monachiûmque deportata fuisse, quæ nunc ævi fortassis in Electorali Bibliotheca Monacensi reperire liceat. Benevole Lector, quievit hæctenus sub umbra Bibliothecæ nostræ

PRÆFATIO AD LECTOREM.

nostræ Sangallensis Trithemij Chronicon, surgit nunc tanquam è cineribus (autographum enim, ut diximus, in cineribus Blumenegianis sepultum) redivivum, animante editionem ejus R.R. Clarissimo Patre Joanne Mabillono Monacho S. Germani Parisiensis, quem lares vel potius Tutelares nostros invisentem in sancto Gallo vidimus, nec sine sensu suavitatis recordamur. Viso isapographo nostro Chronici Hirsaugiensis, quasi reperto thesauro exultans, mox editionem ejus impense suasit, & persuasit, quem *Εργασίω* hujus lucubrationis nuncupari non gravatè fero, sed potius in acceptis habeo. Præter hunc & alij Eruditi & excellentis Doctrinæ Viri Abbates & Priores Monasteriorum, quæ Hirsaugiæ aut Abbates suos, aut fundatores, aut colonos, aut reformatores debent, operi edendo (quod jam jam audierant sub prælo gemere) stimulos addere non cesarunt; paucos memorabo. Ex his Reverendissimus & Amplissimus D.D. Placidus Zur Lauben, Monasterij Murenensis apud Helvetios Abbas, qui promovendæ editioni hujus operis hoc ipsum Chronicum scriptum, & ex nostro transsumptum mihi gratiosè communicavit; alter huic eruditione par Amplissimus & Reverendissimus D.D. Georgius Gaisser Monasterij S. Georgij (quod Hirsaugiam ut Matrem filia veneratur) in Nigra sylva Abbas meritissimus, gratius nihil sibi ad aures accidisse, quam editionem hujus operis testatur. His accedit Magnificus & Clarissimus D. Gregorius Wipmberger Almæ Universitatis Salisburgensis Rector, qui ut est historiarum amans, hoc opere Antiquitati Germanicæ non minimum gloriæ & decoris accessurum sperat: plures in medium adducerem, nisi importunum abitrarer. Habes ergo nunc Lector, quod alijs ne videre quidem contigit, solâ semper spe & desiderio lactatis. Desideravit videre Freherus, Hubertus Thomas Leodius, Vossius & alij, sed felicior illis Mabillonus, vidit, & gavissus est. Vides modò & tu Candide Lector, gaude & frue laboribus nostris, & menda sparsim occurrentia pro urbanitate tua ipsemet emenda. Præposuit operi Trithemius Indicem quemdam generalem, quem hic vides, arbitratus Indicem specialem conficere & fini postponere fore laborem & inutilem, & difficilem, hunc tamen magno labore, tuo tantùm Erudite Lector, bono & commodo, confecimus. Ego interim te ad alia festinantem ultra non moror.

Vale. Ex S. Gallo, Pridie Idus Majas, Anno MDCXC.

Sequitur

Sequitur
prima p
tam

Joannes Trithemius
memoratu dignus
non sine magnis
propter varias m
legas, quàm parte
rum suorum meriti
solum multis & va
registrari nequeunt

In primo q
sancti, meritis Om
sacrosancti ad Pont
illustrarunt Ecclesi
vel de novo instit
quinto. Nomina c
Cenobia fuerunt de
nostri, quorum in h
Cardinales Ordini
viri Ordinis eru
Nomina quorundam
tiones & Dignitates
annis gesta, in hoc
gestam, qua facta
hactenus sexag

Nomina
in Monast

Sanctus Adelhardus
Sanctus Ewardus
Sanctus Wernboldus
Sanctus Wilhelmus
Sanctus Diemo Arch
Sanctus Gebhardus
Sanctus Theogerus E
Sanctus Adelbertus M
Sanctus Bertholdus N